nus; Integra, contaminatis; Iocunda, minus iocundis; Honesta ipsis
etiam utilibus pecuniam; Laboriosa, necessaria, non necessariis; Sua,
alienis; Rara, uulgaribus; Desiderabilia, his quibus facile carere pos
sis; Perfecta, inchoatis; Tota, partibus; Ratione utentia rationis exp
ertibus; Voluntaria, necessariis; Animata, inanimatis; Natura, non natura lib.
Artificiosa, non artificiosis. Vis autem in comparatione sic cernitur; Efficiens cau
sa grauior quam non efficiens; Quae se ipsa contenta sunt meliora quam
quae egent aliis; Quae in nostra quam quae in aliorum potestate sunt; Stabilia in
certis; quae eripi non possunt his quae possunt; Affectio autem ad res aliquas est hu
iusmodi; Principum commoda maiora quam reliquorum; Itemque quae io
cundiora, quae pluribus probata, quae ab optimo quoque laudata; Atque ut
haec in comparatione meliora sic deteriora quae his sunt contraria. Parium
autem comparatio nec elationem habet nec summissionem; est enim aequalis.
Multa autem sunt quae aequalitate ipsa comparentur; quae ita fere concluduntur;
Si consilio iuuare ciues et auxilio aequa in laude ponendum, pari gloria de
bent esse hi qui consulunt et hi qui defendunt; At quod primum est,
quod sequitur igitur. Perfecta est omnis argumentorum inueniendorum praeceptio,
ut cum profecto sis a diffinitione, a partitione, a notatione, a coniugatis,
a genere, a forma, a similitudine, a differentia, a contrariis, ab adiunctis, a con
sequentibus, ab antecedentibus, a repugnantibus, a causis, ab effectis, a com
paratione maiorum minorum parium, nulla praeterea sedes argumenti quaerenda sit.
Sed quoniam ita a principio diuisimus ut alios locos diceremus in eo ipso de quo am
bigitur haerere, de quibus satis est dictum, alios assumi extrinsecus, de his pauca
dicamus; etsi ea nihil omnino ad uestras disputationes pertinent, sed tamen
totam rem perficiamus, quando quidem coepimus. Neque enim tu is es
quem nihil nisi ius ciuile delectet; quoniam ad te haec ita scribuntur ut etiam
in aliorum manus sint uentura, detur opera ut quam plurimum his quos recta studia
delectant prodesse possimus. Haec ergo argumentatio quae dicitur artis expers in testi